

ELECTA

EX

STIPENDIATORVM SCHABELIANORVM

EPISTOLIS

AD

ANTONIVM HENRICVM GLOXINIVM

SCRIPTIS.

HECTORIS GODOFREDI MASII. *Giffae. 1676. d. 25. April.*
D. HABERKORNIVS altera abhinc hebdomade placida morte defunctus est non sine insigni Academiae luctu, sentientis facile iacturam in viro solido & orthodoxo.

EIVSDEM. *Argentorati. d. 1. Sept. 1679.* Proditura est BOECLERI Historia, quae iam per quatuordecim annos sub prelo sudat, vivente adhuc BOECLERO typographi curae commissa. Interruptus autem labor est aemulatione LAMBECII, qui cum idem opus moliretur, obstitit in aula Caesaris, quo minus acta publica BOECLERO traderentur, (vt inscio LAMBECIO promissum fuerat) quae tamen aliquando, licet aegre, impetravit. Inprimis autem Historiam IOANNIS FRIDERICI Saxonici studiose hic descriptam esse, aiunt. D. OBRECHT, BOECLERI gener, infelicis Parentis filius, ast Boeclerianae famae & eruditionis haeres, vltimam manum imposuit Historiae, cuius mentionem feci. — — MEIBOMII Amstelodamensis (†) novum

N 2

inventum

(†) Intelligit MARCVM MEIBOMIVM, quem vocat *Amstelodamensem*, quia
in